



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia
Ordinis S. Benedicti**

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Reverendissimo Ac Serenissimo Domino Maximiliano Archidvci Avstriae,
Bvrgvndiae Dvci, Comiti Tirolis, Thevtonici Ordinis Svmmo Principi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545

REVERENDISSIMO
AC SERENISSIMO DOMINO
MAXIMILIANO
ARCHIDVCI AVSTRIAEC,
BVRGVNDIAE DVCI, COMITI TL-
ROLIS, THEVTONICI ORDI-
NIS SVMMO PRINCIPL

AUGVSTINV
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
HEREMITARVM ABVAS, ET IMPERII PRINCEPS,
felicitatem precatur:



VAM primum, Reuerendissime, & Serenissime Princeps, ad huius Prælaturæ munus accessi, Diuina magis voluntate, quam mea, inter plurimas alias curas, quæ me eodem tempore in continenti inuaserunt, habueruntque, non postrema ea fuit, quo pacto Monasterij Annales, antecessorumque meorum successionem & memoriam, tot casibus,

(:) 2 incen-

incendijsque pene abolitam , atque extin-
ctam denuo repararem , & aduersus id ge-
nus , & alias temporum , hominumque in-
iurias quam longissime conseruarem . Ita-
que id subito negotium Bibliothecario no-
stro commisi . Cuius diligentiam in colli-
gendas , veluti magno ex naufragio , tabulis ,
digerendasque , ac componendas cum non
probare non possem , visumque esset preci-
um operæ multis de causis publici eosdem
Annales facere iuris , profectò , qui à calu-
mniatoribus , & nostræ antiquæ , & veræ reli-
gionis , & institutionis perduellibus , quo-
rum nullum hoc seculo aliud feracius fuit ,
fortiter , & constanter vindicaret , atque ad-
fereret , magno aliquo , & benevolentí Prin-
cipe , & Patrono opus iudicauí . Per cuncta
animo circum eunti præter Tuam Seren-
itatem nemo occurrit alias , qui vtrumque
& efficacius posset , & lubentius yellet . Tot
adeò iam quoque super sunt tuæ benigni-
tatis , & pietatis in hoc Monasterio testimo-
nia . Neque enim solum tua id præsentia
humanissimè condecorasti , sed frequenti-
bus tuis donis , ac muneribus plus quam

regia

regia munificentia , & magnificentia , ita
auctum , & cumulatum esse voluisti , vt inter
primos Fundatores vna cum tua Serenissi-
ma Domo numerari , ac memorari merito
debeas , ac præcipuum facile locum obtine-
as . Vt non amplius referam , qua Tua me
Serenitas ipsum benevolentia , & propen-
sianimi significatione amplecti dignum ex-
istimauerit , Tuæ Serenitatis & numquam
satis laudatæ tuæ familiæ , more , & vestigio
meorum antecessorum alias obseruantissi-
mum , & deuinctissimum . Certe Rudol-
fus I. Imperator Austriacæ Domus glorio-
sissimus , & fortunatissimus conditor , et
propagator , Ulricum II. Abbatem XVIII.
inter Principes Imperij primum coopta-
uit . Albertus I. qui successit , non solum
paternum diploma confirmauit , sed Ioan-
nem Abbatem , & quidquid huius Mona-
sterij fuit , in suam , & suorum protectionem
singularem adsumsit . Posteri , & qui ab eo ,
& eum secuti Austriæ Duces , & Archidu-
ces utriusque sexus prope omnes magnis ,
& pluribus , perpetuisque beneficijs ad hæc
usque tempora idem hoc Monasterium

collocupletare, & celebrare numquam desierunt. Neque tamen etiam nostri tantæ benignitati, & gratiæ defuere. Quandoque, & quamdiu licuit, Austriacos Principes milite, plerumque opera, & consilio adiuuerunt: sæpius inter discordantes arbitri, bello, paceque, fidos se, et obsequentes exhibuere. Postremo pro eorum incolmitate, magnitudine, et gloria assiduis apud Diuinam Maiestatem orationibus, et sacrificijs sedulo collaborarunt, & intercessere. Quorum ego institutis, & votis vti persistam, continuatio, & magnitudo beneficiorum ab eadem munificètissima Domo, & Tua cum primis Serenitate, jure merito perpulerunt. Cuius rei quale quale hoc jam quidem certe signum, et documentum, apud vniuersos, et meos præcipue hac in dignitate successores exstare curpiu: Tuæque Serenitati hos ipsos Annales inscribere, offerre, dedicare non dubitaui, & in eiusdem patrocinium consignare. Eamdem submisse, & maximo opere rogans, vt dum sua, majorumque suorum dona, & beneficia inspicit, & agno

scit ea

scit, ea non solum, sed nos ipsos simul omnes, solito suæ benignitatis fauore, porro fouere, & commendatos habere clementissime velit. Ita Deum obtestor, precorque, & beatissimam eius Virginem Matrem, ut Tuam Serenitatem, & Domum tuam vniuersam quam potentissimam, & florentissimam conseruare perpetuis temporibus dignetur. Ex Heremo, Idibus Ianuarij huius ineuntis Annis Domini Nostri

cic. ioc. XII.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN